

IV. Aëris Terræque Physica Historia, *Anni Bissex. 1732.* à Nicolao Cyrillo in Universitate Neapolit. Primar. Med. Profess. & R. S. S.

I. **P**LUVIA copiosior Mense Januario & Decembri cecidit : illo enim ad Mensuras 131, hoc ad 111 ascendit : Mense quoque Octobri ad 108, numeratae sunt. Mense verò Martio & Maio parcissimè pluit. Ita ut comparatis inter se Anni tempestatibus Hyems & Autumnus magis pluviae ; Ver atque Aëstas ad serenitatem vergentes, sed maximè Ver. Id quidem nostris regionibus familiare, atque Aëris temperiei, aestivo siccoque Anni temporis magis consonum. Ut mirum videri possit, quod in Cœlo Parisiensi maxima Pluviae copia Mensibus decidat Julio, Augusto, & Septembri : quod à Cl. de la Hire constantissimè est animadversum. Fortasse quia is est illius Regionis (quæ à Septentrione & Occidente Oceanum habet) situs, Aërisque indoles, ut in eâ aestivo tempore frequentiores sint Tempestates illæ, quæ cum copiosis imbris copulantur ; Nos verò, quos Mare Tyrrhenum ad Austrum & Occidentem alluit, atque Apennini ad Septentrionem & Orientem positi cingunt, rariores pluvias illas Tempestates experiamur. Elevatis enim fervido Aëstatis Sole copiosioribus è Mari vaporibus, poterunt qui ab Oceano surgunt, & copiosissimi versus terram feruntur, in Boreis, ac ferè planis Galliae regionibus

gionibus copiosiores & frequentiores pluvias tunc temporis creare. In nostris vero oris minùs copiosi exurgentēs ē Tyrrheno Mari vapores, minorem aestivā tempestate pluviae materiam subministrabunt: præsertim quum & illis versūs Terram delatis Montes Apennini, & Venti ē mediterraneis Regionibus eo tempore ex opposito reflantes facilis negotio obſtant. Ex hac mutuā Ventorum ē mari atque terrā in ſe invicem contranitentium pugnā Tempeſtates aestivā apud nos accidere ſolent, *Tropee* lingua vernacula appellatæ, quæ Fulguribus, Tonitruis & Fulminibus notabiles potius ſunt, quā m Pluviae copiā.

II. Nix, quæ circa finem Anni 1731. Montes, & quidem alta occupaverat, Januario, Februario & Martio, 1732, in iisdem ferè ſemper conservata fuit, novā ſupra veterem affiduo cadente. Vesuvium ipſum ſæpe nive coniectum obſervavimus: in Urbe verò & Suburbano agro haud unquam terræ adhæſit. Gelu foliis 29, 30 & 31, elapsi Anni diebus concretivit: primā die mediocre, ſecundā altius, tertiā tenuius post meridiem ſolutum: Thermometri Hauksbeiani liquore ad gr. 57<sup>um</sup> ſubſidente, ac primis duobus diebus aëre omnino quiescente, tertiatā verò flante N. W. Extremo vero Novembri, & primis Decembris diebus hujus Anni Gelu in Urbe concretum primò crassum deinde tenuius, ut in Diario. Grando 23 Februar. in suburbanis locis: 4 Martij etiam in Urbe: 4 & post 20 Aprilis in montibus obſervata. At 14 Sept. Foggiæ cum maximo turbine maxima cecidit Grando & animalia & homines in aperto cœlo agentes non leviter feriens.

B b

III. Ven.

III. Ventorum varia vis, & ij sèpè sibi ipsis oppositi, Hyeme ut plurimùm Occidentales, nunc ad meridiem, nunc ad septemtrionem vergentes viguerunt: quod nobis Mare ad eam plagam habentibus familiarissimum esse solet. Boreales verò rariùs spiravere: primâ tamen & secundâ Januarij fortissimus N. E. Aërem primò repurgavit, deinde aliquantulùm remittens, atque in N. W. mutatus Nive montes conspersit.

Hoc loco opportunum reputavi in Machinulam ad Ventorum vim metiendam, N° 24. Transactionum Philosophicarum Regiæ Societatis descriptam animadvertere: eam scilicet ad talem usum incertam imò falsam existimari debere. Bractæ, vel Sagittæ versatili, quâ in celsis Turribus appositâ utimur pro Ventorum Indice, mobilis Pinnula transversa appenditur, ac Circuli Quadrans in gradus divisus apponitur. Cùm Ventus nullus est, Pinnula hæc omnino ad perpendicularum pendet: flante verò Vento elevatur, ac pro vario Venti impetu, vel parùm, vel magis altè assurgens, virium gradus in Quadrante designat. Id falsum esse ex eo liquet: nam minimâ vi Venti Pinnula è situ perpendiculari ad decem & plures gradus assurgere facilè potest: quò magis autem à perpendiculari recedit, eò magis crevit elevationis Pinnulæ difficultas: ita ut si in primâ Pinnulæ elevatione ad percurrendos decem Quadrantis gradus, sufficiant duo Venti virium gradus; ad alios decem Quadrantis gradus acquirendos vix pares erunt quatuor gradus virium Venti: atque adeò ut Pinnula ad gradum e. g. trigesimum Quadrantis perveniat, haud sufficient Venti vires ad sextum & octavum gradum adiunctæ. Unde patet, haud posse nos hæc

Machinâ

Machinā Ventorum vim exactè metiri : haud enim hæ increscentes proportione respondebunt gradibus in Quadrante designatis.

Satius igitur erit ad Ventorum vim utcumque di-metiendam è methodo uti, quam proponit Cl. Ju-rinus N° 379, earundem Transactionum, quâque nos in nostris Observationibus usi sumus. Ea est ut ad Arborum motum recurramus, quo diligenter in-specto per aliquem ex quatuor numeris 1, 2, 3, 4, in Diarij Meteorologici Formâ notandis, Ventorum vires, seu gradus determinentur : hac lege, ut lenis-simum Aëris motum, adeoque minimam Venti vim eam dicamus, quâ vix Arborum folia agitantur, quamque numero 1 exponendam Jurinus jubet : summa ergò Venti violentia, hoc est quartus illius virium gradus, numero 4 signandus erit, cùm illius impetus maximè adversùs easdem Arbores, fortassè ad illarum eradicationem, furit : atque adeo inter-medias vires numeris 2 & 3 exponendas monet : de-mum perfectam malaciam, hoc est nullam sensibi-lem Aëris & Arborum agitationem 0, seu zero sig-nandam esse concludit.

IV. Mercurius in meo Barometro semel die 20 Maij ad dig. Lond. 28. 82. descendit, quæ fuit maxima eo anno depressio : fortissimus Auster è die spirabat : & quamquam Thermometri liquor non parum à suâ maximâ rarefactione distaret ; calor ta-men suffocans homines torquebat. Maxima contrà in Barometro Mercurij altitudo, nempe dig. 29. 38. observata est die 10 Decembris, flante duobus viri-um gradibus E, aëre sicco frigidoque, & fumante cum impetu Vesuvio. Cæterùm toto eo Mense Mer-

curij altitudo constantissimè major notata est, quām reliquis Anni Mensibus : at 20, 21, 23 Novembris, ut & 16 & 17 Decembris ad dig. 29, 30, pervenit. Notandum medium mei Barometri altitudinem esse dig. 29. 4.

Hæ sunt Barometri Observationes. Reticendum tamen non est, quod etsi Mercurij in illo ascensus Aëris serenitatem & Boreales Ventos, quemadmodum contrà illius descensus imminentem Pluviam, & Ventos Australes comitari soleat; nihilo tamen minus non raro prorsus oppositum observatum est, ut Mercurius subsidere sereno cœlo, assurgere vaporibus referto aëre sit visus. Ut inde fortasse colligere quis possit ad varium Mercurij in Barometro motum, non tam Aëris externi pondus varium, quam ipsius Mercurij alterationes & mutationes quasdam concurrere posse.

V. Thermometrum ab Hauksbeio constructum hæc exhibuit phænomena. Calor hoc Anno maximus observatus est à 9 Julij usque ad primos Augusti dies. Die 23 & 24 Julij, ut & 17 ejusdem ad summum gradum Calor devenit: hoc est devicto Frigore ad gr. 4. liquore scilicet ad num. 4. ascidente. Ascensus hic etiam antecedentibus annis accidere consuevit: verūm quod nostro Anno peculiare fuit & insolens, ut Æstus maximus per vigintidos dies, noctuque diuque semper ferè æqualis perrennaret: liquore Thermometri circa numeros 5, 6, 7, & 8 se continente: si tamen 16 Julij excipias, quā flantibus per vices S. & N N W. cum tonitruis, pluit per intervalla ad digitii ferè altitudinem, quo tem-

tempore Thermometri liquor à gr. 8 ad 20 repente descendit.

Frigus maximum exeunte Anno præcedente, atque ineunte sequente observatum, descendente liquore Thermometri ad gr. 56 & 57, quo tempore vel Nix in montibus videbatur, vel Gelu in Urbe concrescet. Mense item Decembri, cùm Glacie visa, liquor Thermometri ad gr. 55 & 56 depresso est. Quo loco notandum duco, in Tabellâ ad Thermometrum Hauksbeianum appositâ, notari signum Gelu (quod *Frost* Anglice appellatur) gradu 65. Mihi tamen plurium annorum observatione compertum est, Glaciem factam esse liquore ejusdem Thermometri, ad me isthinc missi, tantum ad gr. 55 descendente\*. Unde negari minime potest, ad Glaciei concretionem minori Frigoris gradu hîc Neapoli opus esse, quam Londini. Quod phænomenon justæ Dissertationis materiam subministrabit, quam Deo dante, exarabo, postquam & nonnulla ad rem facientia collegero, atque accuratiora experimenta instituero.

VI. Pauca nunc dicamus de nostro Vesuvio. Hic sanè per totum ferè annum siluit: verùm eo exeunte, post 9 Decembbris, fumum interdiu, & quidem cum impetu, emittere coepit, noctu aliquoties flammam: 20 verò ejusdem crevit maximè & fumus & flamma. Hinc sequentibus diebus fragor internus & strepitus veluti tormentorum explosorum ad multa millaria exauditus, ut & ligneæ fenestræ, & illarum vitra contremiserent. E montis craterc lapides igniti quoque in altum propulsi, qui deinde delapsi, ac cacuminis clivo adhærentes, & nostræ Urbi,

&amp;

\* Vide Transact. N° 424.

& remotioribus quoque locis non inelegans, et si horrendum, spectaculum exhibebant. Cineres pro Ventorum determinatione & vi, per circumstantes regiones, nunc procul, nunc prope dispergebantur. A 27 & 28 Decembris die Fumus crassissimus haud altè se attollens crasso Cinere, quo scatebat, vicinia loca conspersit. Post 29 diem Fumus sensim imminutus, & fragor: tandem post 4 sequentis Januarij omnia omnino evanuerunt.

Nunciatum insuper est, Aetnam eodem tempore & fumum & ignem ingentem cum fragoribus evomuisse: quemadmodum & Strongylum ignivomum montem, insolito strepitu intonuisse, & immani flammâ conflagrassæ: ita ut Calabriæ Occidentalem oram incolentibus Insulæ creber mugitus, atque erumpentes per vices cum strepitu flammæ, Navalium classium aduersus se invicem tormentorum explosione depugnantium, comparari potuisse visæ fuerint.

VII. Annus hic quemadmodum fruges, segetesque (si Indicum frumentum, Maiz, excipias) infra mediocritatem potulit; sic Fructuum omnis generis ubertatem, Vinumque & abundantius & dulcior, quam antecedenti anno præstítit.

Restaret sanè ut Historiam Terræmotū, qui 18 Novembris die nostram Urbem, sed multò magis Principatū Ulterioris Provinciam immaniter vexavit, hic subnecteremus. Verùm quum adhuc veris accuratisque Observationibus caremus; ab eo negotio superfedendum nunc temporis duximus, donec certioribus factis instructi exactam illius Historiam concinnare valeamus.